

Aeschinus dicit apud Terentium patri:

“ Tu potius deos comprecare: nam tibi eos, certo scio,  
“ Quo vir melior multo es, quam ego, obtempera-  
turos magis. »

Primus est deorum cultus, deos credere: deinde red-  
dere illis maiestatem suam, reddere bonitatem, qua sine nulla  
majestas est. Scire, illos esse, qui praesident mundo, qui  
universa vi sua temperant; qui humani generis tutelam  
gerunt, interdum curiosi singulorum. — — Vis deos propi-  
tiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.

Optime honorat deum ille, qui mentem suam, quan-  
tum fieri potest, similem deo facit.

Dilige deum plus, quam animam. Si non diligis deum,  
non ibis ad deum. Non amabis dominum deum, nisi ali-  
quid simile dei habueris.

Conandum est, ut efficiamur similes deo, quantum  
licet homini. Homo autem efficitur similis deo, prudentia,  
justitia, sanctitate.

### CAPUT VIII.

MENS BONA, ET INVENTIO ARTIUM VENIUNT A DEO.

1. Virtus utique nec doctrina, neque natura nobis  
aderit, verum divina sorte.

Non dat natura virtutem: ars est, bonum fieri. Ad hoc  
quidem, sed sine hoc nascimur: et in optimis quoque,  
antequam eruidas, virtutis materia, non virtus est.

Bonus vir sine deo nemo est. An potest aliquis  
supra fortunam, nisi ab illo adjutus, exsurgere? Ille dat  
consilia magnifica et erecta. In unoquoque bonorum (quis  
deus, incertum est) habitat deus. — Si hominem videris  
interritum periculis, intactum cupiditatibus, inter adversa  
felicem, in mediis tempestatibus placidum, ex superiore loco

Terent Adelii, 4, 5. — Sexti Sentent. 396. — Sent. 107, 458, 456. — Plato Theat. p. 129 B.

**Cap. VIII.** Plato in Menon, p. 427. — Sen. ep. 90. — ep. 41.